

rii sui tertio, seu anno æræ Christianæ dcccviii. quo anno *Apsimar* dictus *Tiberius* a Classariis militibus, ut mox dixi, Imperator in Africa renunciatus, Constantinopoli, Imperioque potitus est, quod per septem annos tenuit, hoc est, usque ad annum dcccv. quo Justinianus Imperator decimo exilii sui anno armis *Trebellii* Bulgarorum Ducis adjutus sese Imperio restituit, & *Apsimarum* rerum potentem, atque *Leontium* interfecit, ut mox ostendemus in Historiam Imperatorum, qui octavo Ecclesiæ sæculo clavum Imperii gubernarunt.

D. Statum Ecclesiæ sub Imperatoribus Christianis, qui septimo sæculo summa rerum in Oriente potiti sunt, sat superque descripsisti. Sed nihil adhuc dixisti de *Mahometo*, qui, sicut nuperrime audivi a viris eruditis, novum in septimo sæculo Imperium instituendo, novamque Religionem inducendo, Christianos acriter infectatus est, suosque sectatores ad Religionem Christianam radicibus extirpandam excitavit.

M. Natus est *Mahometus* in Urbe *Mecca*, & a prædonibus Saracenis puer adhuc in Arabiam deportatus, atque *Ismaelitæ* cuidam Mercatori diviti venditus *Camelorum* curator aliquamdiu fuit; sed mortuo illo Mercatore, cui venditus fuerat, viduam illius duxit uxorem, hisque nuptiis locupletatus, mercaturæ *Camelorum*, cui prius vacabat, renunciavit; militiamque professus Principatum ambire, atque Christianis, seu infensissimis hostibus, atrocissimum bellum indicere cepit, in quo, sic permittente Deo, tam feliciter ei cessit martis alea, ut nefarii ipsius Sectatores ea jam possideant loca, in quibus alias Christi Religio maxime florebat. Sæciam conflavit *Mahometus*, & pestilentem invexit doctrinam, in qua quidquid prophanum est in Ethnicis, quidquid superstitiosum in Judæis, quidquid impium in Hæreticis, quidquid in Epicureorum schola impurum, collegit. Sed de hac *Mahometis* secta & doctrina agemus in Colloquio tertio, ubi sectas & Hæreses, quæ septimo & octavo sæculis obortæ sunt, referemus. Mortuus est ille impostor totus crapulæ & libidini deditus anno Christi sexcentesimo tricesimo secundo, die decima septima mensis *Maji*, cujus Sepulchrum etiamnum *Medine* per magnetes pensile visitur (a), & ad illud Mahometani Religionis ergo frequentes conveniunt, dumque ad illud peregrinantur, propriam uxorem cognoscere haud possunt, sed aliam sibi pacto quodam conducere debent, & suam alterius locare libidini. Hinc non mirum, si infinita utriusque sexus libidinosorum turba ad effrenatam explendam in honorem Mahometi libidinem illuc confluat, suam sub specioso illius peregrinationis, & larvæ Religionis obtentu, indomitam celando libidinem, sicut refert *Abrahamus Fochelensis* in Historia Arabum cap. 5. Hic autem obiter advertere debes, Arabibus, antequam Pseudo-Propheta *Mahometus* suam spargeret doctrinam, non unam, eandemque omnibus fuisse Religionem, sed quosdam illorum Mosaicam, alios Christianam Legem fuisse professos, & reliquos varias in sectas scissos, variisque cultibus mansisse addictos. Qua de re legendus est jam citatus

Abrahamus Ecchellensis in supplemento Historiæ Orientalis cap. 6.

(a) Quæ hic asseruntur de suspensio in aera ope magnetis loculo ferreo Mahometis ex vulgi rumore captata esse, vix dubito; quamquam enim innumeris ferme scriptorum calamis idem asseritur, adhuc tamen fabulosum demonstratur ex silentio meliorum Arabicorum Scriptorum. Id vero altum est adeo, ut Bernerius asserat se *Giddam Mari* Rubro adjacentem urbem venisse, ibique integro mense permansisse, nihilque unquam de hac suspensione ibidem audivisse; qua de re ipse testimonium perhibet in sua Epitome Philosophiæ *Gassendi* tom. V. & *Gabriel Sionita* scripta dissertatione commentum illud refutavit, quam legas editam in appendice ad Geographum *Nubiensem*.

Nihilo meliorem fidem habendam credo iis, quæ Auctor noster hic addit de interdicto Mahometanis Meccam peregrinantibus omni conjugali consortio, permisso interim cum aliâ quacumque sœmina congressu. In Alcorano quidem lego interdictum peregrinantibus actum conjugii, nihil vero ibi de permissione coeundi cum aliâ, quin & mentem fuisse credo Mahometo omnem omnino veneream conjunctionem prohibere.

D. Quisnam fuit status Ecclesiæ sub Principibus Christianis, qui septimo sæculo in Occidente Regiam potestatem obtinuerunt?

M. Anno dclii. vel dliiii. destructo penitus in Italia a *Narsese* Romani exercitus Duce Gothorum Regno, quod in *Theodovico* ceperat anno dcccxciii. & desit in *Teja* ultimo in Italia Gothorum Rege, sicut jam observavimus in Colloquio primo in Historiam sexti Ecclesiæ sæculi, Imperatores Græci, qui in Oriente summa rerum potiebantur, Italiam quoque per *Exarcham*, qui Sedem suam *Ravennæ* fixerat, administrarunt. Sed anno quingentesimo sexagesimo octavo Longobardi e Pannonia egressi, in Italiam irruerunt, Ecclesias spoliaverunt, Sacerdotes interfecerunt, agros devastarunt, ædificia incenderunt, totamque Italiam armis occuparunt, exceptis *Roma*, & *Ravenna*, quo ne penetrarent, impediti sunt ab *Exarchis* Imperatorum, qui, ut mox diximus, suam Sedem *Ravennæ* habebant. Longobardi suum in Italia domicilium constituerunt, Regnumque stabilierunt, quod duravit annis ducentis sex, hoc est, ab anno dlviii. quo in Italiam ingressi sunt, usque ad annum dcccxxiv. quo *Carolus Magnus* Francorum Rex *Ticinum*, seu *Papiam* obsidens ac fortiter debellans, eandem Civitatem una cum *Desiderio* ultimo Longobardorum Rege & cunctis, qui cum eo erant, cepit, & universum Longobardorum Regnum suæ potestati subjugavit, quemadmodum testatur *Anastasius* Bibliothecarius. Sed hac de re plura dicemus, dum *Caroli Magni* gesta & victorias referemus.

Africa, quam *Belisarius* insignis sub *Justiniano* Imperatore Romani exercitus Dux a *Wandalis*, qui eam occupaverant, anno dxxxiii. liberaverat; adulto jam septimo sæculo in potestatem venit *Saracenorum*. Hi quippe anno dxcviii. distractam Africam

Africam inter Imperatore *Constantem*, & *Gregorium* Præfectum, qui contra Imperatorem rebellans seditionem moverat, aggressi sunt. Eam, occiso *Gregorio*, qui in ea potentior erat, sibi reddidere vestigalem, & anno dxcviii. Carthaginem ac universam Africam invalerunt. A tempore autem captæ a Saracenis Africa Religio Christiana sensim sine sensu decrevit, ab Infidelibus scilicet conculcata. Perseveravit tamen per aliquot sæcula, etsi neque in septima, neque in octava Synodo generali aliqui ex Africa Episcopi comparuerint.

Gallia ab anno ccccxcvi. quo *Clodoveus* Francorum Rex, suscepto Baptismate, Fidem Christi amplexus est, non alios habuit Reges, quam Christianos, quorum seriem a morte *Clodovei* ad finem usque septimi sæculi breviter hic describam, quia inter illos multi fuerunt pietate insignes, quorum curam Regni & Ecclesiæ pervigilem, incredibile studium pacem servandi, jus suum unicuique tribuendi, prava corrigendi puniendive impense laudant *Annales* Francorum, sed potissimum laudabilem illam sollicitudinem procurandi, ut ad sancendam in suo Regno Ecclesiæ disciplinam convocarentur Concilia Nationalia, de quibus jam in nostris Colloquiis in historiam sexti Ecclesiæ sæculi sermonem habuimus, & alia de quibus in sequentibus nostris Colloquiis acturi sumus.

Mortuo *Clodoveo* Francorum Rege anno dxi. quatuor ejus filii, videlicet *Theodoricus*, *Clodomerus*, *Childebertus*, & *Chlotarius* Regnum ejus acceperunt atque dividerunt: *Theodoricus* suam Sedem *Metis* sortitus est, *Chlodomerus* *Aurelianis*, *Childebertus* *Parisii*, & *Clotarius* *Suessonis*, ut scribit *Fredegarius* in Epitome cap. 30. & *Chlodomerus* anno dxxxiv. casus est in bello *Burgundico*; *Theodoricus* vero ejus frater obiit anno dxxxiv. eique successit *Theodebertus* ejus filius. Eodem anno dxxxiv. *Childebertus*, *Clotarius*, & *Theodebertus* *Burgundiam* obtinuerunt, & fugato *Audomaro* *Burgundiæ* Rege, illius Regnum inter sese dividerunt, sicque extinctum est *Burgundia* Regnum. Defuncto *Theodeberto* anno dclvii. successit *Theodebalus*, qui juxta *Gregorium* *Turonensem* lib. 4. capite nono, septimo Regni sui anno obiit, hoc est, anno dliiii. Nullam prolem reliquit *Theodebalus*, quo factum est, ut *Clotarius* non tantum Regnum ejus cum thesauris acceperit, sed & *Uldetradam* illius uxorem strato suo copulaverit, qui tamen, ut ibidem ait *Gregorius* *Turonensis*, increpitus a Sacerdotibus reliquit eam, dans ei *Garibaldum* primum *Bajovarie*, seu *Bavariæ* Ducem. *Childebertus* Francorum Rex postquam regnasset quadraginta septem annos completos, e vivis abiit an. dlviii. Multa Monasteria, dum viveret, a fundamentis erexit, inter quæ præcipue memorantur Monasterium *Sancti Vincentii* *Parisii* constructum, quod nunc Monasterium *Sancti Germani de Pratis* nuncupatur, Monasterium *Arelatense*, & Monasterium *Sancti Calpiti*, vulgo ut hodie vocatur gallice *Saint Calais* in Diocesi *Cænomanensi*. *Childebertus* moriens nullam prolem masculam, sed duas dumtaxat superstitas reliquit filias, ac subinde

ad *Clotarium* solum *Childeberti* fratrem universum Francorum Regnum devolutum est. *Clotarius* Francorum Monarcha anno Regni sui in eunte quinquagesimo primo e vivis excessit anno Christi dclxi. Extat in Capitularibus Regum Francorum a doctissimo *Baluzio* editis, Constitutio *Clotarii*, in qua multa pro commodis Ecclesiæ statuta leguntur. *Clotario* superstitas vixerunt quatuor filii, videlicet *Charibertus*, *Guntramnus*, *Chilpericus*, & *Sigibertus*, qui Regnum hoc pacto inter se se dividerunt: *Charibertus* Regnum obtinuit *Childeberti*, sedemque Regiam habuit *Parisii*; *Guntramnus* habuit Regnum *Clodomiri*, ac Sedem tenuit *Aurelianensem*; *Chilpericus* accepit Regnum *Clotarii*, sedemque *Suessionensem* occupavit; *Sigibertus* Regnum *Theodorici* sortitus est, sedemque habuit *Rhemensem*. Is postremus Francorum Rex uxorem duxit *Brunichildem* filiam *Athanagildi* *Wisigothorum* Regis; *Chilpericus* vero ejus frater Matrimonium inivit cum *Fredegunde* pessima sœmina, cujus facinora a *Baronio* Tomo 7. *Annalium* ex *Historia* *Gregorii* *Turonensis* passim relata, æternas memoriæ ejus notas infamiæ inusserunt, adeo ut de ea non aliter, quam de monstro quodam ac portento loqui nunc cuiquam liceat aut sentire. Mortuo *Chariberto* sine prole mascula anno dclxx. Francia in tria Regna divisa est, in *Austrasiam* nimirum ad Orientem sitam, *Neustriam* ad Occidentem, & *Burgundiam*. *Sigiberti* ditio *Austria*, *Chilperici* *Neustria*, *Guntramni* *Burgundia* nuncupata est. De qua divisione legenda sunt, quæ habet doctissimus *Cointius* in *Annalibus* Francorum ad annum dclvii. num. xli. *Chilpericus* bellum indixit fratri suo *Sigiberto*, qui ei strenue resistit; sed, jubente *Fredegunde* uxore *Chilperici*, *Sigibertus* anno dclxxv. occisus est a duobus *Sicariis* cultris veneno infectis. *Sigiberto* successit *Childebertus* II. ejus filius. Eiusdem *Fredegundis* jussu anno quingentesimo octogesimo quarto *Chilpericus* furentis, illius sœminæ vir trucidatus est, dum e venatione regrederetur, eique successit *Clotarius* II. Sancte vixit *Guntramnus* *Burgundiæ* Rex, & anno dxciii. ad Deum migravit, atque ab Ecclesia inter Sanctos relatus est, cujus depositionem ad diem xxviii. mensis *Martii* multa Martyrologia celebrant, ut videre est apud *Bollandum* in *Actis* *Sanctorum* ad illum diem. *Guntramnus* moriens instituit *Childebertum* II. Francorum Regem *Hæredem* suum. At *Childebertus* II. vivere desit an. dxcvi. duosque reliquit filios *Theodoricum*, & *Theodebertum*, quorum Regnum *Brunichildis* utriusque *Avia* partim per sese, partim per proceres administravit. Circa idem tempus regnabat in *Neustria* *Clotarius* II. *Chilperici* filius, annum undecimum egressus, cujus tutelam *Fredegundis* mater gerebat. Quare, tum temporis in Francia dignitas Regia penes parvulos erat, potestas vero penes mulieres. *Theodebertus* decimum ætatis annum, *Theodoricus* nonum agebat, illeque *Metis* Regni sedem statuit, hic *Aurelianis*, ut docet *Fredegarius* in Epitome cap. 16. *Theodebertus* *Austrasiæ* Rex anno dxcii. a fratre suo *Theodorico* in prælio

vicus, & una cum suis filiis Clotario, & Meroveo interfectus est. Anno vero sequenti, seu DCXIII. Theodorici arma movens contra Clotarium II. disenteria morbo periit, atque post ipsius mortem Clotarius, filius Theodorici, eorumque Avia Brunichilde e vita sublatis, Monarchiam Francorum solus regere cepit, quam postquam per sexdecim annos tenuisset, mortuus est anno DCXXVIII. Iste Clotarius, Francorum Monarcha ter duxit uxorem. Ex *Halttrude* suscepit *Dagobertum*, quem Austrasia Regem declaravit anno DCXXII. Ex *Beretrude* habuit Charibertum, sed ex *Sichilde*, quam, teste Fredegario cap. 54. pro Mœcha habuit, nullam sustulit prolem. Quae de re legendus est doctissimus *Cointius* in Annalibus Francorum ad annum DCXXIX. Mortuo Clotario successit *Dagobertus* ejus filius, qui Franciae totius obrinuit Imperium, excepta Aquitania parte, quam Chariberto fratri cessit. Sed Chariberto, ejusque filio Chilperico non diu post vita functis, *Dagobertus* universa, qua late patet, Francia potius est. Aliquibus vitis, praesertim avaritiae & libidini addictus fuit *Dagobertus*, ab illis tamen respuit, & ad meliorem frugem conversus per multos annos quam plurima sinceræ poenitentiae dedit argumenta. Episcoporum, atque Aulicorum pietate præstantissimorum consortio plurimum delectatus est; largas pauperibus erogavit elemosynas; Ecclesias, aut Monasteria, præcipue Sanctorum *Dionysii*, *Mauritii*, ac *Martini* excoluit, & locupletavit, ut passim in Actis Sanctorum, qui ejus ætate vixerunt, legere est apud Bollandum. Mortuus est *Dagobertus* anno DCXXXVIII. & duos reliquit filios, *Sigibertum* III. quem Regem Austrasiae instituit anno DCXXXIII. & *Clodoveum* II. quem Regni Burgundiae & Neustriae hæredem designavit, eumque moriens, & *Nantildem* uxorem suam commisit curæ *Egæ* Majoris domus. Hinc factum est post mortem *Dagoberti* Francorum Regis, ut in Galliis Majores domus sub specie administrationis Palatii, Regnum ipsum gubernarent, ac nudo inanique nomine Regio pueris Principibus relicto, summam virium, potentiamque Regalem occuparent. *Sigibertus* III. post obitum patris sui *Dagoberti* regnavit in Austrasia, *Pipino* Majoris domus Regni administro probatissimæ fidei viro. At mortuo *Sigiberto* III. Austrasiae Rege anno DCLIV. *Grimoaldus* Major domus Regni Austrasiae, pulso *Dagoberto* *Sigiberti* Regis filio Regni legitimo hærede, *Childebertum* filium suum Regem constituit. Verum paucos post menses *Childebertus*, & *Grimoaldus* exauctorati sunt, solioque dejecti, *Sigibertus* vero Austrasiae Regno restitutus, post cujus obitum *Clodoveus* II. alter *Dagoberti* filius Regnis Burgundiae, & Neustriae, quæ a patre acceperat, Austrasiae Regnum, ejecto *Childeberto* Tyranno *Grimoaldi* filio, adjunxit. Mortuus est *Clodoveus* II. anno DCLVI. & ex *Bathilde* Sanctissima Regina uxore sua tres reliquit filios, scilicet *Clotarium* III. *Childericum*, & *Theodoricum*. Quod vulgo dicitur de infania *Clodoveo* Regi afficta, & de templis ab eo spoliatis, putidum commentum est, quod planissime

confutatum reperies apud *Hadrianum Valesium* libr. 20. Rer. Franc. ubi plura habet de *Clodoveo* II. Regis tam virtutibus, quam vitis; nobis enim, ob præscriptam in nostris Colloquiis brevitate, in his immorari non vacat. *Clotarius* III. post mortem patris sui *Clodovei* solus in universa Francia regnare cepit, sed anno quarto ejus Regni in finem vergente, hoc est, sub finem anni DCLX. Austrasiis tumultuantibus, & Regem, qui soli Austrasiae dominaretur, sibi dari poscentibus, *Bathildis* Regina, ut tumultus sedaret, eisdem præfecit *Childericum* filium suum secundo genitum, & fratrem *Clotarii*, indeque *Clotarius* Burgundionibus tantum, ac Francis Neustriasis imperavit, vel, ut melius dicam, alieni semper fuit arbitrii. Nam primum sub tutela *Bathildis* matris suæ fuit, deinde, quamdiu regnavit, sub manu *Ebroini* Majoris domus, quem in locum *Erchinoaldi* præfecti Palatii defuncti successit. Tunc enim, ut jam observavimus, omnia in Galliis Majores domus Regiæ pro suo arbitrio & Imperio administrabant. *Clotarius* III. anno ætatis circiter decimo nono, Regni decimo quarto, nullis relictis liberis, e vivis excessit anno DCLXX. At post ipsius mortem *Ebroinus* Major domus *Theodoricum* fratrem natu minorem *Clotarii* III. in Regnum levavit, sed *Childericus* II. frater ejusdem *Clotarii* natu major *Theodoricum* fratrem suum Regno dejecit, in Monasterium Sancti *Dionysii* prope Parisios misit, & *Ebroinum* Majorem domus in Monasterium *Luxoviense* exulem deportari iussit. Verum, occiso *Childerico* II. Anno DCLXXIII. *Theodoricus* frater *Childerici* natu minor, audita ejus morte, e Monasterio dimissus Regnum recuperavit, postquam dissipasset factionem *Ebroini*, qui post eadem *Childerici* II. e Monasterio, in quo fuerat inclusus, egressus, Pseudo-*Clodoveum*, quem *Clotarii* III. Regis filium mentiebatur, Regem proclamaverat. Sub idem tempus *Dagobertus* II. *Sigiberti* III. filius, qui post patris mortem in exilium ablegatus fuerat, audita *Childerici* II. morte, statim sese in Austrasiam contulit, regnoque potitus est. Sed anno DCLXXX. *Dagobertus* II. ejusque filius *Sigibertus* dolo *Ebroini*, & consensu quorundam Episcoporum insidiosè occisi sunt, usque extinctis *Martinus*, & *Pipinus* Austrasianæ militiæ Ducës, contra *Theodoricum* Regem hujus nominis III. & contra *Ebroinum* Majorem domus acie ducta, ut gentis injuriam, ac *Dagoberti* necem ulciscerentur, profligati sunt, & *Martinus* dolo *Ebroini* interfectus est. At *Pipinus*, Heristallus vulgo cognominatus, in *Theodoricum* Regem, & *Bertharium* Majorem domus Anno DCLXXXVII. arma iterum movens, utrumque in *Textriciana* pugna devicit, Parisios occupavit, & Majoratum domus Regiæ in universa Francia obtinuit, ac deinceps auctoritate infra Regiam maxima exercuit sub quatuor Francorum Regibus. Mortuus est *Theodoricus* III. Francorum Rex anno DCXCI. tres ex *Chrotilda* uxore sua suscepit filios, scilicet *Clodoveum* III. *Childebertum* III. & *Clotarium* IV. Prior, seu *Clodoveus* III. immediate patri suo

Theo-

Theodorico in Regnum Franciæ successit, obiitque an. DCXCV. absque prole. Regnavit quatuor annis completis, & quintum inchoavit. *Childebertus* III. hæreditario jure fratri suo *Clodoveo* successit, annis septemdecim regnavit, & abiit e vivis anno DCXXI. Filium unicum *Dagobertum* III. Regni reliquit hæredem, de quo, sicut & de aliis Regibus, qui octavo sæculo Francorum Monarchiam tenuerunt, magis apposite differemus, quæ spectant ad statum Ecclesiæ sub Principibus Christianis, qui in septimo sæculo tam in Oriente, quam in Occidente summa rerum potiti sunt.

D. Quinam fuit status Ecclesiæ sub Regibus, qui septimo sæculo supremum in Hispaniis dominium obrinuerunt?

M. Optimus fuit status Ecclesiæ Regibus, qui septimo sæculo Hispaniarum Regnum administrarunt. Ariana quippe Hæresis, quæ ab anno CCCLXXVII. in Hispaniis altas radices egerat, fuit tandem penitus exterminata anno DLXXXIX. auctoritate *Reccaredi* piissimi Regis, qui patri suo *Leovigildo* in Hispaniarum Regnum successerat anno DLXXXVI. Refert siquidem *Sanctus Isidorus* in Chronico Gothorum, *Athalaricum* Gothorum Regem Hispaniis dominantem misisse anno CCCLXXVII. Legatos ad Imperatorem *Valentem* Arianum, & ab eo Doctores, qui suos Christianam Fidem edoceret, postulasse; atque in eam Gothorum gentem pestiferum Arianae suæ Hæreseos virus *Valentem* Imperatorem transfudisse: *Cujus blasphemie*, inquit *Sanctus Isidorus*, *malum per discessum temporum, Regumque successu annis ducentis tredecim tenuerunt, qui tandem reminiscens salutis suæ, renuntiaverunt inlicitæ perfidiæ, & Christi gratia ad unitatem Fidei Catholice pervenerunt*. *Reccaredus* itaque fuit primus Gothorum Rex Catholicus, qui Gothos, & Suevos ad Fidem Catholicam adduxit, & postquam annos quindecim, mensem unum, & dies decem sapientissime regnasset, maximo sui relicto desiderio, e vivis exemptus est anno DCI. Leges Gothicas in Compendium redegit religiosissimus ille Rex, multis præliis Romanos devicit, Gothorum Imperium florentissimum reddidit, & filium suum *Liubam*, vel, ut alii melius dicunt, *Liuvam* Hispaniarum Regni reliquit hæredem, qui patri suo haud impar futurus fuisset, nisi *Witigerici* prodicione periisset, postquam regnasset annis duobus, ut ait *Sanctus Isidorus* in Chronico. Occiso *Liuva*, *Witigericus* Parricida Regnum occupavit, qui, cum per septem annos regnasset, famaque vulgasset, ipsum velle Arianam Hæresim in Regnum Hispaniarum postliminio revocare, gladio occubuit, conjuratione quorundam inter epulas interfectus anno DCX. Ei successit *Gundamarus*, qui, postquam duos annos non integros regnasset, obiit, nulla prole relicta anno DCXII. *Gundamarus* in Regno Hispaniarum excepit *Sisebutus*, qui quarto Regni sui anno duas leges promulgavit, quibus Judæos sibi subditos Fidem Catholicam amplecti iussit. Hæc duæ *Sisebuti* leges extant in Gothorum legum volumine. Obit

Sisebutus anno DCXX. & *Reccarodum* filium parvulum reliquit Regni hæredem, qui tamen tribus dumtaxat mensibus patri superstes fuit. *Reccaredo* itaque e vivis sublato, *Svinthila* procerum suffragiis Regnum adeptus est anno DCXXI. Sed a *Sisenando* adversus ipsum facta conjuratione anno DCXXX. *Dagobertus* Francorum Rex Burgundicum exercitum in Hispaniam destinavit, ut *Sisenando* contra *Svinthilam* Regem suppetias ferret. Ubi autem divulgatum est in Hispania, exercitum Francorum ad auxilium *Sisenandi* properare, omnis Gothorum exercitus sese e vestigio *Sisenandi* ditioni subjecit. Anno itaque sequenti, seu DCXXXI. *Svinthila*, postquam annis decem regnasset, solio dejectus est, eo potissimum nomine, quod pulsus ex Hispania hostibus, & publica pace stabilita, vitis suæ laxaret, atque in ejus locum successus est *Sisenandus*, qui annos tres, menses undecim, & dies sexdecim cum regnasset, obiit anno DCXXXV. Mortuo *Sisenando* Regnum conscendit *Chintila*, qui illud annos tres, menses octo, dies novem summa pace administravit, & excessit e vivis an. DCXXXIX. *Chintila* subrogatus est *Tulga* ejus filius, qui in eunte anno tertio Regni sui obiit anno DCXLII. Defuncto *Tulga*, Regnum vi, & armis occupavit *Chindasvintus*, quod ut familiæ suæ hæreditarium faceret, filium suum *Reccensvintum* Regni consortem declaravit an. DCXLIX. Regnavit autem *Chindasvintus* solus annos sex, menses octo, dies viginti, & postquam filium suum *Reccensvintum* consortem Regni declarasset, vixit tres annos, menses quatuor, dies undecim; quod tempus in filii Regno numeratur, eo quod ob præcipitem atque affectam patris ætatem, solus *Reccensvintus* ejus filius rerum potiretur, & Republicam universam pro voluntate gubernaret. Obit autem *Reccensvintus* filius *Chindasvinti* Kal. mensis Septembris anni DCLXXII. postquam regnasset annis XXIII. mensibus septem, diebus undecim, sumpto videlicet Regni ejus exordio ab anno sexcentesimo quadagesimo nono, quo a patre suo *Chindasvinto* in Regni consortium adscitus est. *Reccensvinto* successit *Wamba*, qui, ut inquit *Vasius* in Chronico, nullis precibus & lacrymis adduci potuit, ut Regnum susciperet, usque dum quidam e *Ducibus* ense stricto extrema illi minatus est, nisi in preces Gothorum concederet. Cessit tandem *Wamba* minis magis, quam precibus, atque *Toleri* Rex inauguratus est, sed, postquam summa cum prudentia annis octo, mense uno, diebus quatuordecim regnasset, Regno spoliatus est anno sexcentesimo octogesimo, malis artibus *Ervigii*, qui ambitione regnandi abreptus *Wamba* Hispaniarum Regi venenum propinandum curavit; cumque *Wamba* hausto veneno videretur animam agere, posita coma, atque in Sacerdotis morem detonsus, Monachi cucullum induit, quem postea, recuperata licet pristina valetudine, dimittere noluit, sed in Monasterio vitam sanctissime transegit. *Ervigius* Regnum, etsi malis artibus quæsitum, recte tamen administravit. Veritus tamen ne filii sui post ipsius

mor-

mortem a proceribus opprimerentur, *Egicam* ar-
eta cognatione Wambæ sanguini annexum ado-
ptavit generum suum, *Cixilone* filia in conju-
gium data, quibus ita constitutis, mortuus est
anno DCLXXXVII. Regnavit annos VII. dies XXV.
Post *Ervigii* mortem *Egica* Hispaniarum Regnum
adeptus, *Cixilonem* uxorem suam, ex qua *Witi-
zam* filium suscepit, in odium patris *Ervigii* re-
pudiavit. Sumpsit etiam supplicium de Proceribus,
quorum opera Wambam Regem in fraudem
impulsum, atque de rerum culmine dejectum esse,
constabat. Obiit *Egica* anno DCCI. Cum re-
gnasset annos XV. nempe X. solus, & quinque alios
cum *Witiza* filio suo. Hæc est series Regum,
qui septimo sæculo Hispaniarum Regni habenas
moderati sunt, quique Catholicam Religionem
profiterentes, omnem, quamdiu vixerunt, operam
dederunt, ut in rem Fidei & Disciplinæ Eccle-
siasticæ ea Nationalia celebrarentur Concilia,
de quibus in quarto Colloquio sermonem institue-
mus.

D. Christiana Religio suscepit ne septimo Ec-
clesiæ sæculo aliquod apud Infideles Nationes incre-
mentum?

M. Jam observavimus in Colloquiis nostris in
Historiam sexti Ecclesiæ sæculi Sanctum Augusti-
num aliosque Sanctissimos Monachos a S. Grego-
rio Magno Papa sub finem sexti sæculi in An-
gliam missos Christianam Religionem plurimum
ibidem promovisse. Verum, hic obiter advertere
debes, Britannia Insulam, quæ modo *Anglia* ap-
pellatur, fuisse in septimo Ecclesiæ sæculo in septem
Regna divisam, quorum primum erat *Regnum Cantii*;
alterum, *Regnum Australium Saxonum*, sive *Sud-
Saxiæ*; tertium, *Regnum Orientalium Anglorum*,
seu *Esangliæ*; quartum, *Orientalium Saxonum Re-
gnum*, seu *Est-Saxiæ*; quintum, *Mediterraneorum
Saxonum Regnum*, sive *Merciorum*; sextum, *North-
umbriorum Regnum*; septimum, *Occidentalium
Saxonum*, sive *West-Saxiæ Regnum*. Hæc facta
Regnorum Angliæ divisione, nunc breviter præsi-
gere debemus tempus, quo Christiana Fides in
hisce Angliæ Regnis fuerit suscepta. In primis,
Regnum Cantii Fide Christiana fuit illustratum a
Sancto Augustino, aliisque Monachis, qui, ut
jam diximus, a S. Gregorio Magno Summo Pon-
tifici in Angliam sexto Ecclesiæ sæculo ad illius
gentis conversionem missi sunt. Alterum in An-
glia Regnum, seu Australium Saxonum, vel Sud-
Saxiæ dictum ad Fidem Christianam convertit S.
Wilfridus anno DCLXXXI. Is quippe cum consen-
su Regis *Ethelwardi* (qui paulo ante in Mercio-
rum Regno, suggerente *Walfbere* Rege, sacro Ba-
ptismate initiatus fuerat) populis illius Regni
Verbum Dei, quod ipsis necdum fuerat prædica-
tum, annuntiavit, & Infidelium utriusque sexus,
quosdam voluntarie, alios vero Regis Imperio co-
actos ab Idololatria revocavit, Fideque Christiana
imbuit. Quin, & ipse Rex *Ethelwardus* in Reli-
gionem Christianam optime affectus, Villam,
in qua manebat, ad Sedem Episcopalem fundan-
dam concessit, ibidemque *Wilfridus* Monasterium
fratribus suis fundavit. (a) In tertio Angliæ Re-
gno, dicto Orientalium Saxonum, seu Estan-

glia, Christianam Religionem maxime propaga-
vit *Sigibertus* Rex, qui anno DCCCXIX. in suorum
subditorum conversione usus est opera *Sancti Fe-
licis* Episcopi Burgundi, & *Sancti Fursei* Abbatis
Latiniacensis Monasterii, qui Ministerium Evan-
gelicum strenue executi sunt. Vitam S. *Felicis*
describit *Bollandus* ad diem VIII. mensis Martii,
& vitam *Sancti Fursei* a duobus Auctoribus A-
nonymis scriptam die XVI. mensis Januarii, quo
colitur, notis illustrat. In quartum Angliæ Re-
gnum, appellatum Orientalium Saxonum, seu Est-
Saxiæ, Fidem Christianam circa annum DCLV.
introduxit *Sigibertus* illius gentis Rex, qui pe-
tiit ab *Oswio* Northumbriorum Rege Christiano,
ut aliquot sibi Doctores daret, qui populos ipsi
subditos vera Fide illuminarent. Annuit luben-
tissime Rex *Oswius*, & ad illum misit *Ceddum*
cum altero quodam Presbytero, qui omnia per-
ambulantes, multam Domino Ecclesiam congrega-
runt, inquit Venerabilis Beda lib. 3. cap. 22.
Porro *Sigibertus* Anglorum Orientalium, seu Est-
Saxiæ Rex a *Finano* Episcopo una cum suis sub-
ditis Baptismum suscepit, & sub ipso pluri-
mum in hoc Regno dilata est Christiana Reli-
gio. *Ceddum* Primum illius Regni Est-Saxiæ E-
piscopum ordinavit *Finanus*. In quintum Angliæ
Regnum, dictum Mediterraneorum Saxonum, sive
Merciorum, Fidem Christianam intulit *O-
swius* Northumbriorum Rex circa annum DCLV.
Is quippe, occiso *Penda* Rege Merciorum, jure
belli illius Regnum obtinuit, & gentem istius Re-
gni ad fidei gratiam perduxit. Sextum in Anglia
Regnum, idest, Northumbriorum, qui erant An-
gli ad Aquilonem Humbriæ fluminis plagam incol-
lentes, Fidem Christianam accepit sub Rege *E-
dwino*, qui anno DCCXXII. baptizatus est. Hoc
Northumbriæ Regnum erat antiquitus in duas
Provincias, seu Regna, divisum, *Berniciorum* sci-
licet, & *Deiurum*, ut testatur Beda lib. 3. cap. 1.
In utroque Regno *Paulinus* infinitam gentis illius
multitudinem sacro lavacro abluit, quam ob rem
Honorius I. Summus Pontifex in præmium labo-
rum ad eum misit *Pallium*, atque Eboracensem
Episcopum creavit. Nusquam floruit magis in
hoc Northumbriæ Regno Christiana Religio, quam
sub *Oswaldo*, & *Oswio* Regibus, quorum exi-
miam in Deum pietatem ac Religionem, in pau-
peres, & peregrinos singularem beneficentiam plu-
ribus commendat Beda lib. 3. cap. 6. & 14. De-
nique, anno DCCXXV. Saxones Occidentales, seu
West-Saxiæ, *Birino* Episcopo, quem Honorius I.
Pontifex Maximus miserat, prædicante, Fidem
Christi susceperunt. Ipse *Cynigisus* eorum Rex a
Birino baptizatus est, & e sacro Fonte a Sancto
Oswaldo Northumbriorum Rege susceptus. Sedes
Episcopalis *Dorcincæ* constituta est, quæ urbs ho-
die *Dorcestria* vocatur. Sic Christiana Religio in sep-
timo Ecclesiæ sæculo longe lateque in omnibus
Angliæ Regnis propagata est, & per id temporis
Ecclesia Anglicana maxime floruit. Habuit quip-
pe Antistes Sanctissimos, & Reges pietate cons-
picuos, qui fundandis Ecclesiis, & construendis
Monasteriis egregiam operam posuerunt.

(a) Quamquam admitto inter Orientales Sa-
xones

xones religionem Christianam longe lateque pro-
pagatam fuisse opera S. *Felicis* circa annum 629.
diu ramen ante eorum Reges Christiana sacra
suscepere; nam *Sabertus* eorum Rex qui anno
612. obiit, anno circiter 604. lavacrum salutare
subiit, teste *Pagio* ad an. 604. 15.

Ethelwardus vero Rex Australium-Saxonum
non solum optime in Christianos affectus erat,
ut hic habet *Gravefoni*, sed & ipse cum u-
xore sacrum baptismum ante susceperat, quam eo
S. *Wilfridus* venisset, ut tradit *Eadmerus* in
vita ejusdem *Wilfridi* cap. V.

Inter populos, qui septimo sæculo Christianam
Religionem amplexi sunt, numerantur *Croate*,
quos *Constantinus Porphyrogenita Chrobatos* ap-
pellat. Hi quippe anno DCCXX. imperante in Ori-
ente *Heraclio*, relicta Idololatria baptizati sunt.
Qua de re plura habet *Lucius* in Historia de Re-
gno Dalmatiæ & Croatia.

Eodem etiam sæculo septimo Saxones, *Frisios*,
Bajoarios, quos nunc *Bavarios* appellamus, *Suevos*,
aliosque Germaniæ populos, qui tunc Regum
Francorum dominationi subditi erant, ad Fidem
Christianam adduxerunt *Sancti Willebrordus* Primus
Episcopus Trajectensis, & *Rudbertus* Primus Epi-
scopus Salisburgensis. Verum, anno DCLXXI. isti
populi, excusso Francico jugo, ad relictas super-
stitiones inclinarunt, pluresque in limine Rheni
fluminis ad Idololatriam reversi sunt. Hinc octa-
vo sæculo Gregorius II. Romanus Pontifex, in-
telligens, sibi ad dignitatem Sedis suæ incumbere
curam universalis Ecclesiæ, Legatum in Ger-
maniam misit *Sanctum Bonifacium*, ut illic daret
operam conversioni Paganorum, ad quam promo-
vendam Sanctus ille Antistes una cum sociis sibi
adjunctis omnes suas curas, labores & cogitatio-
nes convertit, atque zelo Apostolico accensus, Fi-
dem Christianam in illas Provincias feliciter resti-
tuit, ut mox ostendemus, exhibendo statum Ec-
clesiæ sub Principibus Christianis octavi sæculi.

D. Hactenus statum Ecclesiæ sub Principibus
Christianis septimi sæculi satis demonstrasti; expo-
ne nunc eodem ordine, quo loco, tam in Ori-
ente, quam in Occidente fuerint res Ecclesiæ sub
Imperatoribus & Principibus Christianis octavi
sæculi?

M. *Justinianus* Imperator hujus nominis II.
qui, ut jam diximus in Historia Imperatorum
septimi Ecclesiæ sæculi, a *Leontio*, qui Imperium
invaserat, mutilatus naso, in Urbem *Chersonam*
an. DCCXV. fuerat ablegatus, armis *Trebellii* Bul-
garorum Ducis adjutus, post decem annorum exi-
lium sese Imperio restituit anno DCCV. & *Tiberium*
Apsimarum, atque *Leontium*, qui tempore ejus exi-
lii tyrannidem arripuerant, interfecit. Imperio ita-
que denuo restitutus *Justinianus* II. crudelem
carnificinam exercuit, & pacem, quam cum Bul-
garis pepigerat, quorumque ope fuerat in Impe-
rium restitutus, temere ingratus violavit. De *Cher-
sonitis*, apud quos exulaverat, & quos sibi quon-
dam insidias struxisse meminerat, vindictam sumere
volens, classem contra eos misit, omnesque mar-
tari jussit, exceptis juvenibus & pueris, velut
ad servitutem reservatis. At postea, dolens quod

juvenibus pepercisset, alteram classem ad ipsos
trucidandos transmittere decrevit. Quod ubi com-
pertum habuissent *Chersonitæ*, auxilium *Chagani*
Avarum Regis implorarunt, & *Justiniani* Impera-
toris nomine abrogato, *Bardanem* antea exu-
lem Imperatorem proclamaverunt, quem, mutato
nomine, *Philippicum* nuncuparunt. Hic novus
Imperator dictus *Philippicus* sine pugna *Constanti-
nopolim* ingressus, occidit *Tiberium* *Justiniani* fi-
lium, & paulo post ipsiusmet *Justiniani* caput am-
putatum in Occidentem conspiciendum tradidit.
Imperator itaque *Justinianus* II. postquam in Im-
perium anno DCCV. fuisset restitutus, annos sex il-
lud obtinuit, & occisus est an. DCCXI. fuit ulti-
mus e familia *Heraclii* senioris, quæ cum ipso
fuit omnino extincta, postquam sæculo integro
Romanis imperasset. Occiso itaque *Justiniano*,
Imperium *Philippicus* invasit anno DCCXI. Ma-
le parta dignitate pessime usus est. Monothelitis
impense favit, sextæ Synodo generali, in qua hi
Hæretici proscripsi sunt, sese infensum exhibuit,
& Orthodoxos atrociter persecutus est. Qua-
propter, anno secundo imperii sui, qui fuit
DCCXIII. cum sub meridiem somno indulgeret,
& in carcerem detrusus; sequenti vero die, seu sacro
Pentecostes Festo, a Populo, & Senatu *Constanti-
nopolitano* *Artemius* dictus *Anastasius* II. saluta-
tus est Imperator. Vir fuit *Philippico* Imperatori
olim a secretis, omni doctrinæ genere excultus,
& in agendo versatissimus. At in Saracenos clas-
sem cum misisset ille Imperator, contigit quod
militibus, qui, re infecta, ad ipsum iratum regredi
pertimescebant, quemdam nomine *Theodosium*,
quem obvium habuere, Imperatorem proclama-
verint. Quare Imperator *Artemius* dictus *Anasta-
sius* II. de salute desperans dedit manus, & Mo-
nasticum habitum induit. Eum Imperio ultro se-
se abdicantem *Theodosius* acclamatus Imperator
anno DCCXV. salvum esse jussit, & *Thessaloni-
cam* in exilium egit anno DCCXVI. At *Theodosius*
Imperator, vir licet optimus, & erga Ecclesiam,
Fidemque Catholicam bene affectus, uno tantum
anno cum uno aut altero mense Imperio potitus
est. Nam cum audisset *Leonem* dictum *Isaurum*
ab exercitu fuisse Imperatorem salutarum, sponte
cessit Imperio, & cum ipse, tum filius quoque
Clericorum albo adscripti, reliquum vitæ tempus
in pace transegere, inquit *Theophanes*. *Theodo-
sius* itaque in Imperio excepit *Leo* hujus nomi-
nis III. dictus *Isaurus*, qui Imperium inivit anno
DCCXVII. Fuit Princeps impiissimus, sacrarum I-
maginum everlor, ad quas e medio penitus tol-
lendas Pseudo-Synodum *Constantinopoli* coegit,
Gregorii II. Summi Pontificis vitæ insidiatus est,
S. Germanum Episcopum *Constantinopolitanum*
sacrarum Imaginum defensorem acerrimum e Pa-
triarchali Solio deiecit, ejusque loco *Anastasium*
suffecit, omnes tam viros, quam mulieres *Icono-
clastarum* hæresim, quam invexerat, detestantes
morti tradidit, indeque dictus *Iconomachus*, &
Theomachus. Obiit ex intercute, vel ex dysente-
ria anno DCCXLI. Imperii sui XXIV. Eius Impie-
tatis æque ac Imperii hæres ac successor fuit *Con-
stanti-*